

## Werk

**Titel:** Conspectus Arachnidum

**Autor:** Sundevall, Carl Jakob; Hardin, Sven; Hammargren, Ericus T.

**Verlag:** Berling

**Ort:** Londini Gothorum

**Jahr:** 1833

**Kollektion:** Bucherhaltung; Zoologica

**Werk Id:** PPN612018148

**PURL:** <http://resolver.sub.uni-goettingen.de/purl?PID=PPN612018148> | LOG\_0002

**OPAC:** <http://opac.sub.uni-goettingen.de/DB=1/PPN?PPN=612018148>

## Terms and Conditions

The Goettingen State and University Library provides access to digitized documents strictly for noncommercial educational, research and private purposes and makes no warranty with regard to their use for other purposes. Some of our collections are protected by copyright. Publication and/or broadcast in any form (including electronic) requires prior written permission from the Goettingen State- and University Library.

Each copy of any part of this document must contain these Terms and Conditions. With the usage of the library's online system to access or download a digitized document you accept the Terms and Conditions.

Reproductions of material on the web site may not be made for or donated to other repositories, nor may be further reproduced without written permission from the Goettingen State- and University Library.


For reproduction requests and permissions, please contact us. If citing materials, please give proper attribution of the source.

## Contact

Niedersächsische Staats- und Universitätsbibliothek Göttingen  
Georg-August-Universität Göttingen  
Platz der Göttinger Sieben 1  
37073 Göttingen  
Germany  
Email: [gdz@sub.uni-goettingen.de](mailto:gdz@sub.uni-goettingen.de)

*Comministern*  
*i Hesselskogs Pastorat*  
*af Carlstads Stift*  
*Wälärevördige och Wällärde*  
**HERR JOHAN HARDIN,**  
samt  
**FRU ELSA HARDIN,**

helgas dessa blad



af

Sonlig kärlek och tacksamhet.

*Bruks-Patronen*

*Högädle*

**HERR MAURITZ REINHOLD SAHLIN,**

samt

*Brukspatronessan*

*Wälborna*

**FRU CHRISTINA M. SAHLIN**

född af Svinhufvud,

tillegnas denna afhandling

med vördnad och tacksamhet

af

*SVEN HARDIN.*

*Prosten öfver Norra Dahls Contract*

och

*Kyrkoherden öfver Hesselskogs Församling*

*af Carlstads Stift*

*Högärevördige och Höglärde*

*Magister*

**HERR ANDERS HAMMÄRGREN,**

**tacksamt och vörtnadsfullt**

af

**SVEN HARDIN.**

---

*Animalia articulata* in duas series analogas et quasi parallelas abeunt, quæ ad typos diversos formatae sunt. *Alterum* typum exhibent Vermes et Insecta, quorum formæ, mutuam similitudinem induentes, sensim, in se invicem ita transeunt, ut unam seriem multiplicem constituere recte dici possint \*). Hæc autem series, si extremitates respicis, formas tam dispares continet, ut vix ulla affiuitate conjungi videantur; neque potui notam quandam propriam et positivam, omnibus communem, erere. Sed ratio, quæ organa externa, ubi adsunt, explicantur, convenientiam horum animalium ostendit, eorumque seriem a sequente exacte distinguit. Artubus enim aut carent, aut eos si habent, hi magis definito, secundum eam corporis partem in qua insident, negotio funguntur. Artus corporis dorsales, qui

---

\*) Insecta sub statu larvarum, i. e. sub majore parte vitæ, vermes non parum referunt, seriemque formarum præbent, quæ formam Vermium cum forma Imaginum connectit. — Eorum sententiam probamus, qui in classe Vermium omnia illa animalia comprehendunt, quæ a *Cuvier*, nomine *Annelidum* et *Entozoorum*, ut classes diversæ sejunguntur; nullus enim adest limes definitus inter has formas. Quæ conjunctione facta locus non ambiguus erit *Planariæ*, *Gordio*, *Catenulæ*, multisque aliis formis dubiis.

in perfectioribus hujus seriei formis inveniuntur, in Vermibus sunt branchiæ earumve appendices, in insectis alæ; ventrales non nisi officio pedum fungi reperiuntur. Sed in maxillarum conformatione præcipua ab altera serie differentia apparet. Maxilla enim constituitur ab illa parte principali artus capitis inferioris, quæ *tibiam* pedum representat \*). Palpus igitur, cum adest, eadem est continuatio maxillæ, quæ tarsus pedis; quod in sequenti agmine longe aliter sese habet. Caput horum animalium semper segmentum proprium, a sequente vel a thorace discretum, præbet, et tracheæ, cum adsunt, inter se conjunguntur truncis 2 internis, totum fere corpus longitudinaliter percurrentibus. — Aliam tandem huic seriei propriam indolem invenimus: magna enim pars, ut animalia intestinalia, intra corpora aliorum animalium, degunt \*\*).

\*) Dñi jam a *Savigny* eximie probatum est, partes oris in Crustaceis et Arachnidibus ad eundem typum ac pedes formatas esse. — Eandem vero esse rationem Insectorum et Vermium, in opusculo, quod paratum habemus, ostendere conabimur. De maxillis Insectorum hanc sententiam in Actis Acad. Scient. Holm. 1829 pag. 198 enuntiavimus. — Termini: pedes, antennæ, maxillæ, branchiæ, alæ etc., tantummodo usum respiciunt. Quo autem artus iidem, dissimili negotio fungentes, rite comparari possint, secundum locum cui insideant denominari debent; suntque: *dorsales* et *ventrales capitis*, *thoracis* et *abdominis*; vel *corporis* segmenti 1:mi, 2:di etc.

\*\*\*) An. intestinalia sunt *Entozoa* Rud. larvæque majoris partis Hymenopterorum et non exigua Dipterorum.

*Altera series*, paulo minus polymorpha; amplectitur *Crustacea* et *Arachnida*, quæ artibus ventralibus ("pedibus articulatis") semper, usque ab ovo, instructa sunt. Eorum vero artus functiones longe minus definitas habent. Eadem enim organa, quæ in Crustaceis antennæ sunt, in Arachnidibus mandibulæ dicantur necesse est. Artus corporis ventrales in quibusdam tantum sunt pedes, in aliis quoque branchiarum vicibus funguntur et in aliis eadem organa ad generationem vel conservationem ovorum pertinent. Artus vero dorsales in hac serie animalium numquam existunt. Maxillæ vicibus fungitur solus articulus primus, s. coxa, palporum pediformium, quæ idcirco partes a *Latreille* "pieds machoires" appellantur. — In formis hujus seriei superioribus, et in tota ejus parte terrestri caput a thorace non est discretum. Organa respirationis, ubi interna sunt, nullo trunco communi junguntur. Magna pars horum animalium parasitice vivunt, sed nulla sunt intestinalia.

Utraque series ex aqua incipit, et in duas partes abit; quarum alteram, brevitatis ergo *submersam*, alteram *emersam* dicemus. — *Animalia submersa*, typice ad vitam aquaticam formata, aërem in humore ambiente solutum, organo quodam superficiali recipiunt. Aut igitur branchiis instructa sunt; aut, omni proprio organo respirationis destituta, per totam corporis superficiem respirare videntur. Oceanum præsertim stupendo numero inhabitant; at magna Vermium pars intra corpora aliorum ani-

malium vivunt. Pars quoque aquas dulces inhabitant, et duæ formæ cognitæ, *Onisci* et *Lumbrici*, siccum incolunt, etsi forma et respirandi modo a veris submersis minime differant; sed loca præsertim humida eligunt, ubi organa respirationis ab exsiccatione, quæ perniciem affert, tuta sint.

*Emersa* aërem liberum ope pulmonum vel trachearum, in ipsum corpus recipiunt. Ut illa mare, sic hæc terras et aërem implent; nec pauca aquas dulces fluminum lacuumque inhabitant, aërem liberum ibi quoque e superficie haurientes; sed vix ullam formam Oceano propriam invenies \*).

Tali divisione duplici animalia articulata in 4 classes abeunt, sc.

<i>Series 1:a</i>	<i>Series 2:a</i>
Maxilla nulla vel tibialis **)	Maxilla e coxa palpi formata
a) <i>Submersa</i> org. resp. ext. VERMES	CRUSTACEA ;
b) <i>Emersa</i> org. resp. int. INSECTA	ARACHNIDA ***)

---

\*) *Halobates* Esch. tantum superficiem marium inhabitat, ut *Hydrometra* lacuum. Larvæ quædam insectorum etiam in aqua marina metamorphosin subire possunt; e. gr. larvæ *Chironomi* et *Tanyptidis* quæ etiam ut nova genera Vermium descripta sunt. (Conf. Zool. Journ. N:o XI p. 321 et Isis 1830 h. XI p. 1158).

\*\*\*) Sit venia verbo. Quid intelligatur ante explicavimus.

\*\*\*\*) Vel ita si mavis: *Vermes* organo respirationis



Affinitas inter ea quærenda est, quæ eadem serie continentur, eundemque typum exprimunt. *Insecta* sunt repetitio terrestris formæ *Vermium*, quæ tamen, metamorphosi peracta, in statum nobiliorem transit, quo *Insecta*, perfectione animali, reliqua animalia articulata longe superant. — *Arachnida* præbent iterationem terrestrem formæ *Crustaceorum*, nulla metamorphosi perfectius explicatam.

Ea autem convenientia, quam *Analogiam* vocant, simili habitatione et respirationis modo indicata est. Characterem igitur communem, eundemque optimum, præbent classes analogæ, licet præterea nullam aliam convenientiam formæ inter se habeant, nisi quod simul animalia articulata sint.

Utraque series a *Palæadibus* et verisimiliter aliis formis antiquissimi Oceani, his affinibus, nunc vero ignotis, incipit; per formas recentioris Oceani in siccum usque adscendit, ibique novam speciem induit, iterumque ad formas simplicissimas, parasiticas descendit, in quibus quasi in puncto communi terminatur. Nam *Insecta* parasitica (*Hippoboscides*, *Pediculi*), et *Acari* parasitici multa communia ha-

---

externo (carent tracheis). Apodes.

*Crustacea* org. respir. ext. (Tracheæ nullæ). Pedes articulati.

*Arachnida*: Tracheæ vel pulmones discreti. Caput concretum.

*Insecta*: Tracheæ longitudinaliter conjunctæ. Caput distinctum.

bent, formasque ambiguas præbent (e. gr. *Nycteria*, *Caris*). — Præter has vix ullæ formæ inter utramque seriem ambiguæ occurrunt \*). *Aberrationes* vero hoc loco non minus quam in tota reliqua Natura organica desunt. Larvæ enim quædam aquaticæ revera branchiis respirant, quod præsertim in larva *Ephemere* evidenter apparet. Sed tracheæ tamen intra corpus adsunt, licet minus explicatæ sint, quam dein, sub statu animalis perfecto, evadant.

Series utraque interrupta esse videtur, ubi limes est inter partem submersam et emersam. Omnes enim species definito modo hanc vel illam modificationem formæ exprimunt. Sed eo magis naturæ convenientes sunt classes; neque concedimus plures typos animalium articulatorum esse, qui classes constituere possint. *Vermes*, ea ratione qua classem definiendam esse statuimus, structura quidem tam externa quam interna, valde varii sunt; sed tamen omnes habitum communem bene exprimunt, neque formas magis dissimiles quam Insecta vel Crustacea comprehendunt. — *Myriapoda*, quæ se junxit *Leach* et deinde quoque *Latreille*, ex nostra sententia vera sunt Insecta aptera for-

---

\*) Ut ambiguæ haberi possent *Glomeris*, cujus forma externa paullum ad formam Crustaceorum accedit, qui tamen locum non dubium simul cum reliquis Myriapodibus sibi vindicat; — et *Lerneæ* quæ inter Entozoa dispositæ fuerunt. Eas vero esse vera Crustacea recentiores observationes docuerunt. Multa nova de forma et explicatione harum edere studet *Amicus*, observator indefessus *S. Lovén*.

nam larvarum referentia. Os eorum aperte ad eundem typum ac Insectorum conformatum est \*), neque rationem cur separentur præbet. — (*Arachnidum* divisionem propositam \*\*) in duas classes, sc. in ea quæ *pulmonibus* et ea quæ *tracheis* respirant, non rite institui, sequenti dissertatione demonstrare conabimur.

—

Arachnidum classis hoc modo, simul cum reliquis, constituta per se ad examen revocanda est. Non erit dubium quænam animalia hanc classem constituent; eadem enim sunt, quæ *Latreille* *Arachnida* vocat, præter Familiam *Pycnogonidum*, quam summus vir non nisi dubitans introduxit \*\*\*). Hanc quoque jure se-

---

\*) Partibus solitis instructum est: Labro, Mandibulis, Maxillis et Labio. Sed in *Fulo* maxillæ, ut in multis larvis, cum labio omnino concretæ sunt. — In *Scolopendra* maxillæ basi inter se conjunguntur processu interjacente, bipartito, non articulato, qui partes pharyngeas, in Insectis plerumque molles, repræsentat; quæ omnia plerumque nomine "labii vel linguæ 4-fidæ" appellata sunt. *Labium* vere bipartitum est, et, ut "palpi, vel pedes, vel maxillæ, basi conjuncta" describitur; structuram vero Labii typice bipartitam esse, docent palpi duo labiales. Accedunt insuper, in *Scolopendra*, pedes 2 maximi raptatorii segmenti 1:mi, qui reliquas partes tegunt, et labium 2:um appellati sunt. — Unicuique liquet partem principalem maxillæ, sc. articulum ejus tertium, tibiam, neque coxam repræsentare. Sed caret palpo, quod idem in quibusdam larvis observamus.

\*\*\*) Conf. Latr. Fam. nat. pag. 317. not.

\*\*\*\*) Conf. Regne An. 1817. Tom. 3 pag. 110 not.

junxit *Strauss*, præmonente *Savigny*, locum ei debitum inter Crustacea tribuens. Sed in loco hujus familiæ, in Arachnidum classem *Limulus* imposuit \*)), quem nos, eadem ratione ac *Pycnogonides*, ad Crustacea referendum esse, judicamus. Utraque enim forma eximie est oceanica, quæ nulla affinitate cum Arachnidibus, evidenti autem cum Crustaceis conjungitur. *Limulus* ad Caligos prope accedit, branchiisque bene explicatis respirat. Non possumus quin conformationem sterni, quæ *Limulus* cum Arachnidibus convenit, minoris momenti habeamus, quam affinitatem formæ simul cum characteribus ipsam vitæ rationem exprimentibus, quibus omnibus *Limulus* ad Crustacea recedit. — In *Pycnogonidibus* nulla organa respirationis detecta sunt; certe vero ea non habent interna, quæ in voragine maris, ubi vivunt, parum forent utilia, quæ vero Arachnidibus essentialia esse statuimus. Verisimiliter nulla propria organa respirationis habent, sed ut suspicatus est Latreille, tota superficie corporis respirant. Quæ in re sine dubio, ut in plerisque, parum differunt a *Crustaceis Cystibranchiis*, quorum vesiculæ, si quoque organa respirationis sunt, ut crediderunt, certe parum magis quam tota reliqua superficies corporis respirationi inserviunt. *Pycnogonides* toto habitu, conformatione partium et divisione corporis in segmenta regularia, non concreta, cum his Crustaceis congruunt. Differunt numero seg-

---

\*) Sec. Fror. Not. XXIV. 19.

mentorū pedūmqve, qvi verò numerus inter Crustacea non parum variat; et defectu antennarum, quam etiam in aliis Crustaceis (e. gr. Bopyro) invenimus. Magna præsertim similitudo est generis *Pycnogni* cum *Cyamo*; nulla vero alia est ratio, cur in classem Arachnidum inseratur Familia de qua agitur, nisi numerus pedum marium (non vero feminarum), defectus antennarum, et dispositio oculorum similis atqve in Phalangiis. Si vero ipsa Natura formam Crustaceorum pro mari, Arachnidum pro terra finxit, *Limulus* et *Pycnogonides* cetera Crustaceis non differunt. — *Insecta Aptera*, a *Lamarck*, conditore classis Arachnidum, huc relata, a *Latreille* jure restituta sunt, cum omnes characteres Insectis proprios habeant, et eadem serie affinitatis cum Insectis contineantur.

His omnibus exclusis animalia quæ in Arachnidum classe restant intimo nexu inter se conveniunt, ideoqve classem naturalem præbent. — In methodis Zoologicis e structura organorum respirationis dividi solent; sc. in ea quæ *sacculis pulmonæformibus*, et ea quæ *tracheis ramosis* respirant. Quæ divisio, quamvis in re nixa, quæ maximi momenti pro tota structura animalium esse videretur, tamen artificialis est, et affinitatis nexum, inter hæc animalia, plane destruit, quamobrem omittenda est. Dissimilitudo enim allata tam parum in structuram externam vim exserit, ut in formis evidenter dissimilibus (e. gr. Araneis et Scorpionibus), eadem sit structura organi respiratio-

nist. Sed inter formas, quæ, ob conformationem reliquarum partium, necesse affines habendæ sunt, aliæ alio modo respirant. De Scorpionibus loquimur et reliquis generibus, quæ infra, nomine *Solifugæ*, jungemus. Ulterior disquisitio partium internarum sine dubio similitudinem internam horum animalium ostendet, quæ pluris valet quam dissimilitudo allata organi respirationis. Vel forte hæc organa, si melius cognita essent, minus dissimilia apparerent. Partes enim externæ, præsertim in animalibus, quæ iis sat explicatis gaudent, non minus quam internæ, sunt vitæ ipsius indices; neque possunt similes esse, nisi hæc convenientia in ipsa vita posita sit; quod etiam similitudinem partium internarum secum fert. Similitudo igitur partium externarum necesse affinitatis indicium est, neque ad methodum naturalem, quæ in scientia plurimum valet, condendam, negligenda est.

Si Classem de qua agitur secundum aureum illud *Linnaei*; "genus dabit characterem", perlustras et in sectiones redigere conaris, non dubium erit *Arachnida* ad quatuor illos typos esse formata, quos ipse *Linnaeus* agnovit, cum *Arachnida* omnia, sibi cognita, in genera *Arachnam*, *Scorpionem*, *Phalangium* et *Acarum* comprehenderet. Hæc igitur genera *Linnaeana* præcipuas sectiones *Arachnidum* habemus; eaque, additis emendationibus quas disquisitiones deinceps institutæ \*) suppeditaverunt, *Ordines* dicemus,

(\*) Auctores præcipui sunt: *DeGeer*, *Latreille*, *Lamarck*, *Herrmann*, *Walckenaer*, *Dufour*, *Savigny*

ejusdem dignitatis ac *Coleoptera*, *Lepidoptera* etc. in classe Insectorum. Quo facto hæc erit dispositio Arachnidum:

**A. Cephalothorace ab abdomine distincto.**

(*Superiores*).

Ordo 1. *Aranæ* L. Abdomen *mammillis textoriis* instructum, cuteque continua tectum, (basi constrictum, uno tantum puncto thoraci adhærens. Mandibulæ ungue simplici, reflexo, armatæ).

Ordo 2. *Solifugæ* \*) Abdomen, *segmentis divisum*, caret organo textorio, (latius adhærens. Mandibulæ chelæformes). *Pedipalpi*, *Scorpiones* et *Pseudoscorpiones* Latr.

---

\*) Nomine *Solifugæ* veteres animal quoddam venenatum appellaverunt. — Hoc nomen adoptavi ut omnes Ordines naturales hujus Classis nominibus propriis usitatis designarentur, quæ, sicuti nomina *Aranæ* et *Acari*, etiam adhiberi possent, si Ordinem quendam ut unum genus considerare velles. *Solifugæ* nomen eo potius adhibui, quod animal ita appellatum, consensu Entomologorum, illius esset generis, quod *Galeoden* vocavit *Olivier*, quodque hujus est Ordinis. Præterea nomen *Soli-fuga* indolent horum animalium, latebras obscuras amantium, exprimit. *Plinius* idem *Sol-puga* vocat, quo autem nomine, potius forsitan adhibendo, non usus sum, quod idem synonymon recentius est generis *Galeodis*. — Nomen Ordinis 3:ti, et nomine triviali speciei notissimi mutatum, neque omnibus placebit; sed aliud non præsto erat.

**B. Cephalothorace abdomineqve unitis.**  
(*Inferiores*).

Ordo 3. *Opiliones*. Partes oris trunco corporis affixæ. (Mandibulæ chelæformes, magnæ, exsertæ). *Phalangium* L.

Ordo 4. *Acari* L. Partes cibariæ labio, rostellæ modo disjuncto, insitæ. (Mandibulæ plerumque rostello breviores occultatæ).

In ulteriore horum Ordinum expositione, genera quædam nova condere necesse duxi; præsertim inter Araneas, ut fieret conformitas quædam generum. Idem quoque fieri potuisset suppressione generum jam constitutorum; quod vero perperam susciperetur nisi omnino artificialia, vel falso constituta sint genera. *Genus* enim naturale sit necesse est. — Nomenclatura zoologica hodierna eo tendit, ut omnes formæ animalium, quæ sectiones naturales, etiam minimas, constituunt, genericè distinguantur. Quod quidem brevi eam molem nominum afferet, quam nulla memoria tenere possit; sed tamen scientiæ proderit, si eo modo omnes formæ proprio examini subjiciantur. Olim iterum colligentur; idque reformationi cuidam Zoologiæ proprium erit, ut genera minora ad leges physiologiæ, quæ eadem sunt ac leges methodi naturalis, sub genera majora redigantur, ut redeat simplicitas amabilis Linnæana, quam, cum specialiora nondum sufficienter elaborata sint, frustra in Zoologiam restituere tentavit ipse *Cuvier*.

---



## Conspectus Generum.

Ordo 1. *Aranæ* \*).

Hunc esse supremum Ordinem Arachnidum, suadent definita corporis divisio in duas partes, pro organis vitæ animalis, et vitæ merræ organicæ, oculorum explicatio, facultas omnibus communis texendi, e. s. p. Epeïrarum vero familiam inter Araneas supremam esse, e mira arte, quæ reliquas omnes, in retibus construendis, longe superat, multisque aliis argumentis elucet. Agmen igitur ducat.

Fam. 1. *Epeïrides* (Orbitelæ Latr. \*\*).

Caput impressionibus, postice in foveam coëuntibus, limitatum. Mammillæ textoriæ 6,

---

\*) De nomine Aranæ pro toto Ordine, non vero pro genere quodam minori, adhibendo, conf. *Act. Reg. Ac. Scient. Holm.* 1832 Add. ad Aran. — In eodem tractatu, ad descriptionem generis Epeïræ, quædam attulimus de segmentis corporis, quæ etiam in Araneis, quamquam plane deesse videntur, demonstrari possunt. — De dispositione methodica Araneorum, secundum numerum organorum respirationis, eadem fere valent, quæ supra, de divisione totius classis, ex iisdem organis desumpta, diximus.

\*\*\*) Nomina Familiarum mutavi, credens Familias ubique melius secundum genus principale, vel plerisque cognitum, quam alio quodam nomine adjectivo, designari. Sic omnes Aranæ *Epeïrides* sunt, quod nomen exprimit, *similis Epeïris*; sed omnes non sunt *Orbitelæ*. Speciem enim ex India habeo, quam *E. abnormem* dico, quæ rete irregulare construit. Hoc etiam denominationis modo nomenclatura non augetur.

conicæ, convergentes. Frons humilis: oculi margini antico inflexo propinqui.

- A. Thorax brevis, parte cephalica elevata, transversa, postice supra thoracem proprium, sat depressum, alte perpendiculari.

*Gasteracantha* Latr. cours d'Ent. pag. 530. Epeiræ Fam. 9, race 2:de Walck. Tabl. — Mandibulæ latitudine breviores. Maxillæ orbiculatæ. Abdomen coriaceum; transversum, lateribus spinosum, superne ocellato-impressum. (E. cancriformis; hexacantha etc.)

- B. Thorax oblongus, parte cephalica depressa, non vel parum angustata; pars postica paullo gibboso elevata. (Oculi laterales distincti.)

*Micrathena* \*). Mandibulæ crassissimæ, breves. Maxillæ orbiculatæ. Oculi laterales tuberculo communi impositi. Abdomen magnum, coriaceum, armatum. Pedes postici reliquis longiores.

Sect. 1. Abdomen depresso-planum, rotundatum thorace multo latius, margine spinosum. (Ep. Fam. 9, race 3. Walck. Tabl. *E. clypeata* et plures.)

Sect. 2. Abdomen oblongum, thorace parum latius, inæqvate, superne spinis validis armatum. (Ep. Fam. 9, race 1.

---

\*) *Mimpa*, parva et *Αθηνα*, nomen grecum Minervæ, et armatæ et toræntis.

Walck. Tabl. *E. spinosa*. Fabr. et multæ novæ sp. e Brasilia).

*Nephila* Leach. Mandibulæ crassissimæ, dimidio thorace breviores, perpendiculares. Maxillæ obovatae, convergentes. Abdomen oblongum (s. elongatum), molle, teres.

*Tetragnatha* Walck.

C. Thorax oblongus, parte cephalica latitudine circiter dimidia thoracis proprii, postice depressi.

*Epeira* (Ep. Fam. 5, 6, 7, 8. Walck. Tabl. des Araneïdes).

*Uloborus* Latr.

D. Thorax rotundatus, totus valde depressus, densissime argenteo pubescens, parte cephalica minuta, parum prominente, latitudine (saltem frontis) vix tertiæ partis thoracis proprii.

*Argyopes* Sav. (3 Sectiones: Ep. Fam. 2, 3 et 4 Walck. Tabl).

---

Fam. 2. *Theridides* (Inæqvitelæ Latr.)

Capitis limites et Mammillæ textoriæ ut in Familia præcedente. Frons alta, mox ante oculos transversim impressa. Oculi a margine antico, non inflexo, remoti.

*Pachygnatha* nob. (Conf. Act. Holm. 1829, p. 208; et 1832 add. ad Aran. Sv.)

*Erigone* Sav. Linyphiæ sect. prima Act.  
Holm. 1829, pag 208. — Conf. Act.  
Holm. 1832. l. c.

*Linyphia* Walck.

*Dictyna* \*). Thorax oblongus, fovea ordinaria postica. Pars cephalica magna, convexa (adpresse albido-pilosa). Frons latitudine thoracis dimidia, vel ultra. Oculi laterales in tuberculo communi, discreti. Oculi medii antici approximati. Mandibulæ beves, crassitie femoris. Maxillæ lineares. Pedes obtusiores, thorace circiter 3 plo longiores, non aculeati, parte patellari longit.  $\frac{1}{3}$  sequentis, vel ultra. — Species minutæ, obscuræ. — Typus *Th. benignum*. Walck.

*Theridium* Walck. Thorax ovatus, fovea ordinaria centrali. Pars cephalica prominula; frons latitudine fere dimidii thoracis. Oculi parvi; laterales in tuberculo communi subcontigui. Mandibulæ crassitie femoris, longiores. Maxillæ convergentes, lineares, apice attenuatæ. Pedes tennes, longitudine thoracis circiter 5:pla; parte patellari longit.  $\frac{1}{2}$  sequentis; non aculeati. Colores lætiores. *Th. ovatum*; — *Sisyphus*; — *longimanum* etc.

*Steatoda* \*\*) Thorax sub-orbiculatus, fovea

---

\*) *Δικτυνα*, cognomen Dianæ, retibus venatoriis utentis.

\*\*) (*Στεαρτόδης*, sebum referens.

ordinaria centrali. Pars cephalica parva, parum prominula; latitudo frontis circiter  $\frac{1}{3}$  thoracis. Oculi depressi, approximati (maiores). Mandibulæ in plerisque minimæ, longitudine  $\frac{1}{4}$  thoracis; femore duplo angustiores, cylindricæ, ungue parvo, transversali. Pedes crassiores, apice attenuati, carent aculeis; Antici thorace 3plo longiores, vel paullo ultra; parte patellari longitudine  $\frac{1}{3}$  sequentis. Maxillæ Theridii. Abdomen magnum, plerumque depressum, sub-orbiculare, speciem pinguedinis vel sevi præbens. Color brunnescens. — *Therid. 4-punctatum*; — *castaneum*; — *albomaculatum*; — *lunatum* etc.

*Latrodectus* Walck.

*Enyo* Sav.

*Pholcus* Walck.

---

### Fam. 3. *Drassides* (Tubitelæ Latr.)

Thorax undique convexus, impressionibus pro capite nullis, vel non coëuntibus. Mammillæ textoriæ 6 parallelæ, cylindricæ. Femora solo non adpressa.

Familia magis quam reliquæ polymorpha, et ad eas formis intermediis transiens. Præsertim ad formam Therididum accedunt genera primum enumerata; ad formam Lycosidum: *Textrix* et *Ctenus*; ad Therididum, genera ultima; ad Mygalidum, *Dysdera*, *Segestria*. Sed tamen habitu quodam communi convenire videntur omnes.

**A.** *Thorax* ovatus. Oculi 8. Mammillæ textoriæ superiores elongatæ, 3-articulatæ. — In plerisque thoracis pars cephalica subdistincta est. Frons fere ut in familia præcedenti constructa. Pedes elongati, thorace plus quam 3:plo longiores, aculeati, apice attenuati. Oculi omnium, præter Textricis, parvi, æquales: medii a margine antico remotiores quam laterales. — Omnes bene in unum genus conjungerentur, ut proposuit *Latreille*, et dein adprobavit *Walckenaer*. Sed hoc loco nomen Aranæ minus proprie, quam pro toto Ordine, adhiberi videtur. Subgenera proposita hæc sunt:

*Tegenaria* Walck. ab *Agelena* parum differt, nisi mammillis minus elongatis.

*Arachne* Sav. nulla in re a præcedente distincta esse videtur, nisi pedibus 2:di parvis brevioribus quam reliquis. Quæ autem nota in hac Sectione parvi est momenti, cum omnes species mihi cognitæ, quarum nonnullæ nondum descriptæ, respectu proportionis pedum paullo inter se differant; ideoque, si talis nota valeret, ut generice distinctæ haberentur; quæ nimia esset divisio. Hoc igitur genus jure omittendum.

*Lachesis* Sav. Secundum figuram a *Savigny* datam, hæc ab *Agelena* non differt nisi ungue mandibulæ brevi, et proportione pedum minus solita; nam 4. 3, 2. 1 gradatim breviores sunt, ut in femina *Tex-*

*tricus*. Sed toto habitu simillimè esse videtur Agelenæ et superflua distinctio forsàn est.

*Agelena* Walck. ut typus generis, vel subfamilie consideranda.

*Nyssus* Walck. nobis ignotus. Auctore Latreille hæc quoque a præcedentibus generice non differt. Ut differentia generica tantummodo edita est structura paullo brevior et truncata maxillarum.

*Textrix* nov. subgenus. Agelenæ sect. 3 Act. Holm 1831 pag. 130. Thorax major et altior quam in præcedentibus, subprismaticus, parte cephalica longe minus distincta. Oculi in series 2 parallelas, rectas dispositi: 4 posteriores majores. — Nomen huic tribui addere necesse duxi, cum, inter has formas, sola, jure quodam, distinguenda esse videretur. Ad formam Lycosæ genuinæ sat prope accedit; sed tamen retia construit, similiter ac *A. domestica* et reliquæ).

B. Thorax ovatus. Oculi 8. Mammillæ textoriæ parum prominulæ, æquales, vel superiores breviores. (Thorax major, plerumque fere semicylindricus. Pedes in plerisque breviores, obtusiores quam præcedentium).

1: mō. Thoracis pars cephalica subdistincta, elevata, fronte alta sub-perpendiculari.

*Asagena* \*) nov. gen. Drassi Tribus prima

---

\*) Σαγηνη réte, præfixo α privativo: Carens reti

Act. Holm. 1831 p. 133. — Oculi prominuli, æquales, in series 2 parallelas dispositi. Os Drassi, a quo genere differt structura thoracis et defectu scopulæ pedum. Corpus subnudum, coloribus pulchris ornatum. Pulmones certe tantum 2.

*Filistata* Latr.

2:do. Thorax æque convexus, fronte depressa. Tarsi scopula \*\*) instructi in omnibus præter partem generis Clubionæ et generis 2 ultima).

*Anyphæna* \*) n. g. Thorax pro parte cephalica abrupte angustior. Oculi fere in segmentum circuli, antice convexum, dispositi, paullo prominuli. Pedes elongati (antici, qui reliquos superant, thorace 4:plo longiores. Scopulæ tarsorum obsoletæ. Frons latitudine dimidii thoracis. Mammillæ textoriæ breves, vix prominulæ, æquales. Superiores apice gerunt rudimentum articuli tertii, et setas aliquot breves, quare longiores primo intuitu apparent. Partes oris fere omnino ut in

---

\*) *Ανυφαίνα*, retexo.

\*\*) Scopulam, secundum Kirby et pl., vocamus eam hirsutiem brevem, densam, rigidam, fere perpendiculariter impositam et quasi æque detonsam, quæ tarsos interdum subtus tegit. Quod observare volui cum idem terminus etiam aliter adhibitus sit. Sic Latreille in descriptione generis Thomisi (in Opere Gen. Crust. et Ins.) scopulas vocat fasciculos sub unguis insertos, qui organa Insectorum *onychis* vel *pulvillus* dicta repræsentant.



genère Agelenæ, a quo similitudinem non exiguam præ se fert), Typus *Clubiona accentuata* Walck.

*Drassus* Walck. Gnaphosa Latr. olim. —  
Drassi tribus secunda Act. Holm. 1831,  
pag. 134.

*Ctenus* Walck. Genus inter Lycosides et  
Drassides ambiguum. In hac familia, ob  
oculorum dispositionem et intimam cum  
sequenti genere affinitatem, collocandum.  
Oculi non in omnibus speciebus in 3 li-  
neas dispositi. Laterales tuberculo com-  
muni paullo pone medios insiti.

*Clubiona* Walck. Genus quoad formas par-  
tium valde varians, cum omnes species  
mihi cognitæ forma quadam evidenti a  
se invicem differant. Cum vero omnes  
habitu quodam communi contineantur et  
characteribus definitis circumscribi pos-  
sint, ea in plura genera distribuere pla-  
ne superfluum duxi. Species autem hoc  
modo disponi possunt:

a) Tarsi scopula instructi.

Trib. *Cl. nobilis* (Ar. nobilis Fabr). Ma-  
xillæ breves, basi non angustiores, a-  
pice intus obliquè truncatæ. Oculi in-  
æquales.

Tr. *Cl. lapidicolæ*. Maxillæ elongatæ, cir-  
cà labium arcuatæ, basi angustatæ. O-  
culorum series posterior longior. Tho-  
rax altior. (Cl. Fam. 5 Walck. Tabl.)

Tr. *Cl. pulicariæ*. Maxillæ præcedentis, sed basi vix angustatæ. Oculorum series æquales. (Species minutæ).

b) Scopula tarsorum nulla.

Tr. *Cl. holosericeæ*. Maxillæ basi angustæ. Oculorum series rectæ. Mammillæ text. sat prominulæ. (Cl. Fam. 1 Walck. Tabl.)

Tr. *Cl. atrocis*. Maxillæ basi angustæ. Oculi laterales in tuberculo communi approximati. Mammillæ text. brevissimæ. (Cl. Fam. 4 Walck.)

Tr. *Cl. nutricis*. Maxillæ basi non angustiores. Oculi et mammillæ præcedentis. (Cl. Fam. 3 Walck.)

*Argyrcneta* Walck. Vix a Clubionis differt nisi labio fere triangulari.

*Lycodia* nob. Act. Holm. 1832 add. ad Aran.

C. Thorax ovatus. Oculi 6.

<i>Dysdera</i> Walck.	Duo priora carent oculis mediis anticis; duo
<i>Ariadne</i> Sav.	posteriora carent oculis mediis posticis.
<i>Segestria</i> Walck.	
<i>Scytodes</i> Walck.	

D. Thorax suborbiculatus vel transversus. Oculi 8. (*Anomalæ*).

*Clotho* Walck. Latr. Gen. Crust. — *Uroctea* Duf.

*Hersilia* Sav. (Tantum e figura Savignyi nobis cognita).

*Sparassus* Walck. Micrommata Latr.

Aranæ senoculatae (C) affines quidem sunt; sed a præcedente sectione (B) non essentialiter differunt, neque per se sectionem naturalem constituunt; quare si sectionem B ut unum genus considerare velles, eas in eodem genere comprehenderes.

Ultima Sectio (D) continet genera inter se parum affinia, quæ tamen hoc loco colligi, cum a Familia Drassidum minus quam a reliquis aberrare mihi visi sunt, neque ubi melius disponerentur video. Nexum quendam inter Drassides et Thomisides præbere videntur.

Sacci pulmonales 4 observati sunt in Filistata, Dysdera et Segestia perfida (Duf. Ann. Sc. 1), non vero in Seg. senoculata. Forsan eundam numerum in pluribus Araneis hujus Familiæ inveniemus; sed nullam veram affinitatem indicare videtur.

---

#### Fam. 4. *Lycosides* (Citigradæ Latr.)

Thorax altus, sub-prismaticus, dorso recto, angusto; antice posticeque fere perpendiculariter truncatus. Oculi aream majorem occupant; quædam magni.

*Ocyale* Sav. Dolomedis Sect. 2 Walck. Ut proprium genus toto habitu et conformatione partium exstat.

*Lycosa* Walck. Genus specierum ditissimum, et a reliquis duobus hujus familiæ sat distinctum, quamobrem divisiones sequentes tantum ut subgenera proposui. Possunt vero

propria genera constituere non minore jure quam e. gr. genera familiæ Therididum.

1:0 (*Lycosa* proprie dicta). Thoracis pars cephalica lateribus verticalibus; (superne lata, subtus angustata, unde partes oris minores, oculi autem majores quam sequentium).

2:0 (*Tarentula* nob. Act. Holm. 1832). Thorax totus adpresso-pubescent, parte cephalica lateribus declivi. Frons perpendicularis oculis 4 anterioribus margini antico propinqui. (Pars cephalica subtus non multo angustior quam reliqua pars thoracis. Oculi 4 majores trapezium formant longitudine circiter  $\frac{1}{6}$ - $\frac{1}{7}$  thoracis).

3:0 (*Dolomedes*. Dol. Sect. 1 Walck.) Thorax totus adpresso-pubescent, parte cephalica lateribus declivi. Frons declivis oculis 4 anterioribus (in senioribus) a margine antico longe remotis. (Forma a præcedentium parum differt. Oculi pullulorum ante tertiam cutis mutationem omnino ut in præcedente subgenere dispositi. Trapezium oculorum majorum in adultis longitudine circiter  $\frac{1}{5}$  thoracis).

4:0 (*Pirata*). Thorax subnudus, lateribus rotundato-dilatatus, parte cephalica sat angusta, lateribus declivi. (E. constructione thoracis sequitur mandibulas angustiores esse quam in subg. 2:0 et 3:0. Trapezium oculorum longitudine  $\frac{1}{6}$  thoracis).

Obs. *Lytosæ caudatæ* (Fam. 3 Walck.) mihi

sunt ignotæ. Forte proprium subgenus constituunt, *Textrici* affine.

*Spharus* Walck. *Oxyopes* Latr.

Singularis in hac familia constantia formæ observatur. Nam in ditissimo *Lycosæ* genere vix ullam variationem formæ indagare potui, præter eam quæ subgenera denotat.

---

Fam. 5. *Attides*. (*Saltigradæ* Latr.)

Thorax magnus altus, sub-parallelipipedicus, longitudinalis. Mammillæ textoriæ 6 cylindricæ.

*Salticus*. Latr. (Conf. Act. Holm. 1832). Typus *S. formicarius* Ar. formicaria DeGeer.

*Attus* Walck. Genus specierum ditissimum, multasque formas comprehendens, sed naturale et difficiliter dividendum. Donec meliores sectiones proponantur his utare:

A. Oculi laterales antici non prominentes et a mediis per intervallum distincti,

1:0 *Femora tertii paris longitudine  $\frac{2}{3}$  thoracis.*  
(Pedes tertii paris reliquis plerumque longiores.)

Sect. 1. *Angustati*. Abdomen angustum mammillis exsertis. (Thorax fere ab oculis posticis usque declivis). Typus *A. ornatus* \*) n. sp.

---

\*) *A. ornatus*. Castaneus, thoracis vitta ambiente, verticis macula magna abdominisque linea lata albissimis. — Long. thoracis  $3\frac{1}{2}$  millim. Etiam frons

Sect. 2. *Vatii*. Abdomen ovale mammillis brevissimis. (Thorax parallelipedi obliqui formæ, vel in exoticis quibusdam magis convexus). Typ. *A. falcatus* Clerck.

200 *Femora tertii paris thorace duplo breviora*. (Pedes tertii multo breviores quam antici et postici).

Sect. 3. *Simplices*. Mammillæ brevissimæ.

\*) Thorax brevis, robustus area dorsi quadrata. *A. sanguinolentus*; *A. pubescens* etc.

\*\*) Thorax robustus, depressior, superne planus, latitudine  $\frac{2}{3}$  longitudinis, antice angustior. *A. striatus*.

\*\*) Thorax debilior, convexus, latitudine fere duplo longior. *A. scenicus*. *A. niger* etc.

Sect. 4. *Caudati*. Mammillæ sat prominulæ, æquales.

\*) Thorax robustus, magnus. *A. Paykullii* Sav. et numerosæ species ex Africa et India.

\*\*) Thorax parvus (pro hoc genere), infra oculos dense pilosus, (ut in toto genere præter subdivisionem sequentem). *A. muscosus*. (Clerck. \*).

\*\*) Thorax parvus limbo antico usque ad oculos exciso, nudo. *A. atrovirens* \*).

---

ante oculos alba. Vitta thoracis postice interrupta. — Ad Calcutta frequens.

\*) Conf. Act. Holm. 1832.

Séct. 5. *Sémicaudati*. Mammillæ superiores prominulæ, inferiores breves. Typ. *A. Bos* \*) n. sp.

B. Oculi laterales antici vix minus prominentes quam medii, et ab iis nullo intervallo distincti.

Séct. 6. *Oculati*. Species duæ mihi cognitæ: altera Bengalica, altera Brasiliana.

Obs. *A. depressus*. Walck. est typus proprii Sectionis (Atti Fam. 3 Walck. Tabl.) mihi vero ignotus.

*Palpimanus* Duf.

*Platyscelum* Sav.

*Evesus* Walck.

*Myrmecium* Latr.

---

Fam. 6. *Thomisides*. (Laterigradæ Latr.)

Femora solo adpressa, tibiis tarsisque antrosum spectantibus. Thorax suborbiculatus undiqve convexus, non magnus. Mammillæ 6.

*Selenops* Duf.

*Thomisus* Walck.

*Philodromus* Latr. Mandibulæ, ut in genere præcedente, breves conicæ.

---

\*) *Attus Bos*. Thorax magnus, rotundatus, convexus, cornibus 2 setosis ornatus. — ♀. Long. thoracis 4 millim. Cornua thoracis sub oculis minimis orta, erecta, arcuata, longitudine dimidii thoracis, e setis 8-10 composita. Color griseus, thoracis vitta ambiente abdominisque pictura albidis. — E Bengalìa.

*Sarotes* \*) n. g. Mandibulæ cylindricæ, duplo longiores quam altitudo frontis, vel ultra. Oculi in series 2 rectas dispositi. (Thorax rotundatus, depressus totumque corpus dense pubescens. Pedes longi, crassitie subæquales. Tarsi scopula densissima instructi. Species magnæ e terris calidis, subsimiles Mygali, celeriter currentes). Typus *Ar. regia* Fabr. Thom. *Leucosia* Walck. Latr.

---

Fam. 7. *Mygalides*.

(*Theraphosa* Walck. *Territelæ* Latr.)

Mammillæ textoriæ 4. Obs. hæc nota Mygalidibus propria est, sed eadem structura Mandibularum, thoracis, oculorum, pulmonumque ac in his, etiam in paucis aliis araneis observatur.

*Mygale* Walck.

*Ctenize* Latr. — *Nemesia* Sav. teste Latreille,

*Oletera* Walck. Atypus Latr.

*Missulena* Walck. *Eriodon* Latr.

---

*Genera addenda*, mihi ignota locoque incerta.

*Episinus* Latr. A. Latreille inter *Theridides* enumeratus.

*Storena* Walck. Affinis *Argyronetæ* secundum observationem summi *Arachnolog*i, quod eo potius credam cum oculorum dispositio similitudinem cum *Drasso* vel *Agelena* indicat.

*Tessarops* Rafinesque. Genus verisimiliter inter *Drassides* enumerandum.

---

\*) *Σαροτης*, scoparius.



Ordo 2. *Solifugæ.*

Sectio Arachnidum omnino Naturalis, forma notissima Scorpionibus simili insignis. A reliquis Arachnidibus primo intuitu differunt abdominis, plerumque oblongi, segmentis distinctissimis. Pectus a coxis pedum adnatis radiatum. Mandibulæ chelæformes. Palpi plerumque majores quam pedes sunt. Corpus crassum oblongum, abdomine late adhærente. Tantum Phrynus differre videtur, qui, ob corpus breve et abdomen magis quam in reliquis a thorace distinctum, similis est Araneæ. Sed conformatione omnium partium eximie cum reliquis convenit, et per formam Thelyphoni arcte cum Scorpionibus conjunctus est. — Galeodides a reliquis in genere non differunt nisi structura simplici palporum.

Fam. 1. *Phrynides.* (Tarantula Fabr.)

Abdomen constrictione levi a thorace distinctum. Respiratio pulmonalis. Thorax integer, sc. omnia segmenta pedigera cum capite in unum concreta.

*Phrynus* Oliv.

*Thelyphonus* Latr.

---

Fam. 2. *Scorpionides.* (Genus Scorpio L.)

Abdominis basis non angustata, subtus organis 2 pectiniformibus instructa. Segmenta 6 ultima in caudam, spina valida terminatam, formata. Respiratio pulmonalis. (Thoracis segmenta duo postica discreta, formam segmentorum abdominis omnino referentia).

Prima divisio Scorpionum secundum numerum oculorum, 6 vel 8, a De Geer proposita est. Has Sectiones ad generum dignitatem promovit Leach, qui species 6-oculatas nomine *Scorpionis*, 8-oculatas vero nomine *Buthi* designavit. Quæ quidem divisio in nota sat perspicua nititur, sed in eo errat, quod formas naturales Scorpionum nullo modo distinguit; genera enim characteribus propositis adaptata sunt, neque characteres generibus. Cum vero neque genera nova, a Cel. *Ehrenberg* nuper proposita, affinitates horum animalium satis distincte exponere nobis videantur, novam quandam vim nominibus jam acceptis addere liceat. Prius tantummodo observemus oculos minimos, qui ultra 8 sæpe adsunt, per se vix nisi sectiones generum, vel species distinguere. Sic in Scorpione *Javano*, maximo, ocelli duo pone oculos verticis adsunt, quos nemo, quantum novimus descripsit. Oculos igitur 10 revera habet, eum vero nullo modo inter *Centruros* Ehr. adnumerarem, cum a *Sc. afro*, cui simillimus est, vix nisi his ocellis et magnitudine differat. Scorpio Afer in eodem loco tantum habet puncta 2 minima, impressa, rudimentorum instar, quæ nullam speciem oculorum præbent. — Sequenti modo Scorpionides distribuendas esse censemus.

*Scorpio.* Manu longiore quam articulo præcedente, late cordata. (Sc. manus thorace plerumque latior, depressa, intus retrorsum valde dilatata, ibique magis minusve acute marginata. Digni manu non longiores, in ple-

risque multo breviores. Cauda corpore brevior, crassitie palporum præter chelas, quibus multo angustior semper est. Caput, antice convexius, minus angustatum, caret lineis asperis. Oculi verticis approximati, carinulis 2 abbreviatis distincti, in quibus singulis, pone oculum majorem aliud minutum interdum observatur. Pectines simpliciores. Color corporis plerumque piceus, nitidus. Superficies lævis. Differentia Sexus e manibus maris latoribus, intus magis rotundatis quam in femina, comparatione sexuum apparet \*).

*Tr. 1. Scorpio.* Ehr. Oculis 6. (Sc. oc. frontales 2 utrinque, intra marginem frontis siti; verticis 2 ante medium thoracis. Chelæ convexæ, parum compressæ, fere immarginatæ. Spina caudalis caret dente inferiore).  
*Sc. Europæus*; — *Maurus*.

*Tr. 2 \*\*).* Oculis 8: verticis ante medium thoracis siti. Chelæ sub-parallelipipedicæ, (supra subtusque planæ, ambitu quoque plano, digitis brevissimis. Cauda denticulo sub basin spinæ apicis instructa. Oculi frontales 3 utrinque, in summo margine frontis siti).  
*Sc. australasiæ*.

*Tr. 3. Buthus Heterometrus.* Ehr. Oculi 8 vel

---

\*) In omnibus Scorpionidibus mares a feminis differunt artibus caudaque longioribus, robustioribus, magis linearibus, manibusque majoribus, unde breviores appareant digiti.

\*\*) Ut subgenus *Liocheles* appellari potest. *λειος* planus, lævis; *χηλη* chela.

to, verticis pone medium vel in medio thoracis siti. (Chelæ valde compressæ, convexæ, margine interno acuto. Oculi frontis 3 utrinque, non semper inæquali spatio remoti; Verticis interdum 4. Spina caudæ caret dente inferiore). *Sc. Afer*; *Sc. capensis* (qui colore flavescente, digitisque elongatis transitum ad sequentes præbere videtur).

*Buthus.* (Scorpiones flavi). Manu brevior quam articulo præcedente, oblonga, tereti. (Manus thorace multo angustior, intus vel non, vel in medio tantum dilatato convexa, immarginata, plerumque digitis brevior. Cauda corpore longior, plerumque manu crassior, semperque multo crassior quam reliqua pars palpi. Thorax depressus, antice sat angustatus. Oculi verticis 2, ante medium, sc. ad  $\frac{3}{5}$  thoracis siti, lineis 2 elevatis plerumque flexuosis crenatisque distincti. Oculi frontales utrinque 3 æquales, approximati, in serie recta supra marginem dispositi. Pone hos sæpe 1 s. 2 minuti, oblique positi, adsunt. Pectines longiores, magis compositi. Color corporis testaceus vel fuscus, opacus. Corpus punctis lineisque elevato punctatis magis minusve asperum. *Diff. Sexus:* ♂. Manus majores longiores, magis cylindrici. Caudæ art. ult. latior, sæpe præcedentibus fere crassior, extrorsum dilatatus et truncatus. ♀. Manus et caudæ art. ult. minores, ovati, extrorsum angustati).

*Tr. 1. Buthus Isometrus* Ehr. Oculi frontales 3 utrinque. Corpus gracile.

*Tr. 2. Centrurus* Ehr. Oculi front. 4 utrinque.

*Tr. 3. Androctonus Liurus* Ehr. Oc. front. 5 utrinque. Cauda superne obsolete angulata.

*Tr. 4. Androctonus Prionurus* Ehr. Oc. front. 5 utrinque. Cauda superne valde crenato angulata.

Obs. Scorpionis partes anteriores, Buthi partes posteriores magis sunt explicatae, qua ratione praecipue differunt.

---

Fam. 3. *Obisides*.

Abdomen basi non constrictum, ecaudatum. Palpi chelæformes. ("Respiratio trachealis"). — Conformatione oris, thoracis, pedum etc. eximie cum Scorpionibus conveniunt, sed carent pectinibus ventralibus. Segmenta pone cephalothoracem distincta sunt 12. In Scorpionibus 13 numerantur, quorum 6 angustatae caudam componunt. In Obisidibus igitur ultimum extus non apparet, sed etiam hoc, retractum et forma mutatum, intra corpus adesse videtur.

*Chelifer* Geoffr. Leach. Herm.

*Obisium* Ill. Leach. Herm.

---

Fam. 4. *Galeodides*.

Abdomen basi non constrictum, ecaudatum. Palpi simplices. "Respiratio trachealis." — Palpos simplices si excipis, non minus, forte magis, Scorpionibus similes sunt quam Obisides.

*Galeodes* Oliv. Solpuga Licht. Fabr.

*Siro* Latr. habitu et characteribus hujus est Familiae.

Ordo 3. *Opiliones*.

Minor animalium numerus huic Familiæ adnumeratur, sed credi licet non pauca, adhuc ignota, terras calidas inhabitare. In formis hucusque cognitis sternum parvum videtur, cum omnes coxæ adnatæ pectus radiatim occupent. Corpus breviter oblongum. Abdomen pone coxas parum prominet.

Fam. 1. *Gonoleptides*.

Coxa postica maxima, latissima, quare pedes postici a reliquis remoti apparent. Palpi dilatati. Scutum dorsale firmum, coriaceum. Os apertum. Hucusque tantum e Brasilia allati.

*Gonoleptes* Kirby. Corpus crassum, convexum, posterius valde dilatato-rotundatum, fronte fere 3:plo latius. (Pedes breves; postici, qui reliquos superant, corpore duplo longiores vel paullo ultra, crassi, sæpius valde spinosi. Tarsi articulis vix ultra 10. Palpi corpore breviores, lateribus apiceque spinosi. Tuberculus vel spina oculigera simplex vel bifida. Spina postica scuti dorsalis 1 vel nulla. Color obscurus fuscus.

*Mitobates* \*) n. g. Corpus depressum, postice non duplo latius, lateribus subrectis. (Pedes longissimi, postici corpore 3:plo-6:plo longi-

---

\*) *Mivos*, filum s. chorda et *βαίρω*, eo, ob pedes longos et tenues. — Typ. *M. triangulus* palpis corpore longioribus spinosis; angulis posticis scuti dorsalis subtruncatis, lateribusque abdominis muticis. — Long. corporis 9 millim. Testaceus,

ores, omnes tenues. Tarsi antichi et tertii par-  
ris articulis 10, reliqui articulis numerosis.  
Spinæ vel tuberculi oculigeri 2. Scutum dor-  
si postice spinis vel tuberculis 2 instructum.  
Color varius. Habitus Phalangii. — Species  
plures Brasilianas vidimus.

---

Fam. 2. *Phalangides*.

Coxæ posticæ reliquis vix crassiores. Pal-  
pi filiformes. Os apertum.

*Phalangium* L.

---

Fam. 3. *Trogulides*.

Coxæ æquales. Os totum sub fornice parvo,  
e corpore prominente, occultatum. (Obs. ad-  
huc incertum est an corpori vel restello affi-  
gantur partes oris).

*Trogulus* Latr. Habitu Phalangiis similis.

*Cæculus* Duf. ad Acaros transire videtur.

---

Ordo 4. *Acari*. L.

Rostellum acutum, liberum, sæpe simile  
capiti parvo, cujus basi affiguntur partes oris,  
notam essentialem Acarorum præbet. Facilli-  
me crederes hoc esse caput discretum, sed re-  
pugnant oculi, qui, cum adsunt, in anteriore  
parte ipsius corporis inveniuntur. Rostellum

---

lineis arcuatis flavescentibus. Spinæ oculigeræ et  
dorsi posterioris subulatæ. — A cel. *Westermann*  
communicatus.

igitur est os, segmenti adinstar solutum, quod majore parte e labio formatum est. Mandibulæ plerumque rostello breviores sunt, et in eodem occultatæ, vel ita superimpositæ sunt ut simul canalem trivalvem forment, sed in uno genere cognito (Macrochele) rostellum longe superant. In quibusdam forinibus non sunt sufficienter cognitæ, quare characteres familiarum ex iis desumptos omisi.

Fam. 1. *Hydrachnides*.

Pedes 8 natatorii. (Animalcula aquatica).

*Eylais* Latr.

*Hydrachna* Müll.

*Limnochares* Latr.

---

Fam. 2. *Trombidides*.

Pedes 8 cursorii. Palpi calcarati. (Sc. Palpi 5 articulatæ, articulo penultimo supra insertionem ultimi in stylum porrectum producto. Art. ultimus liber, dependens. Art. primus, s. coxa, intus denticulis corneis armatus, maxillæ negotio fungitur. Mandibulæ simplices acutæ).

*Trombidium* Fabr.

*Erythræus* Latr.

---

Fam. 3. *Gamasides*.

Pedes 8 cursorii. Palpi mutici 5-articulati, basi conniventes. (Palpi elongati, vel saltem rostrum longe superantes. In plerisque curvati et valde mobiles sunt.



*Scirus* Herrm. *Bdella* Latr. (*Bdella* ut nomen græcum *Hirudinis* omittendum).

*Cheyletes* Latr.

*Gamasus* Latr. Species molles, a coriaceis distinguendæ.

*Carpais* Latr. Précis. *Gamasi* coriacei, parasitici.

*Pteroptus* Duf. \*) Ann. des Sc. 1832.

*Macrocheles* Latr.? \*\*)

---

\*) Speciem hujus generis in Membrana alari *Vespertilionis* *Barbastelli* annis 1821 et 25 inveni et nomine *Gamasi* descripsi, quæ, cum articulis palporum a descriptione Ill. *Dufourii* discedat, breviter memoranda est: — *Pt. punctatus* scuto dorsali coriaceo, profunde sed non crebre punctato, medio lævissimo. Long. corporis 1 millim. — Palpi evidenter 5 articulati, fere subulati, subrecti, basi rostellii inserti; Art. 1:us longit. rostellii a quo ægre discernitur, 2:us brevis, reliqui sensim paullo longiores; toti sub margine corporis occultati. Anus in altero sexu biverruculosus. Corpus sub-rhomboidale etc. ut descriptio citata.

\*\*) Paullulum de hoc genere dubitamus. Latreille enim *Macrocheli* mandibulas chelæformes adtribuit, sed in ea specie quam ipsi examinavimus simplices visi sunt. Tamen idem animalculum esse videbatur, ab Herrmann *Ac. testudinarium* vocatum, quod a Latreille generi *Macrocheli* adnumeratur (Fam. Nat. p. 320). Ut igitur res illustrata sit e descriptione, plures ante annos facta, præcipua afferre liceat: *M. testudinarium?* pallide castaneus, nitidissimus, corpore ovali, fere osseo, depresso, æque convexo, acute marginato, subtus plano, superne impressionibus 2 longitudinalibus, paullo flexuosis. Longit. fere 1 millim. Similis *Uropodæ*. Rostellum sub margine antico corporis occultatum, minutum, acutum. Mandibulæ et ma-

*Uropoda* Latr. Palpi rostelllo plus duplo longiores, subulati, toti sub margine corporis antico occultati. —

Fam. 4. *Sarcoptides*.

Pedes 8 gressorii. Palpi nulli vel in rostelllo occultati. (Mandibulæ chelæformes Latr.)

*Notaspis* Herrm. Oribata Latr.

*Sarcoptes* Latr. Idem est genus quod *Acarus* Latr.

*Tetranychus* Duf. —

Fam. 5. *Ixodides*.

Pedes 8 gressorii. Palpi recti, 2—4-articulati, (basi a se invicem distantes, neque ulla parte maxillarum officio fungentes, rostelllo non vel parum longiores. Rostrum et mandibulæ serratæ, validæ).

*Ixodes* Latr. Cynorhæstes Herrm.

*Argas* Latr. Rhynchoprion Herrm. (nobis tantum e descriptionibus cognitus).

---

xillæ æquales, porrectæ, subulatæ, 5-articulatæ, parum curvatæ, rostelllo plus duplo longiores. Quatuor igitur palpi adesse videntur. Mandibulæ (s. superiores) apice nigro, acuto, integro. Maxillæ (vel palpi) apice obtusiusculæ. Oculi nulli. Pedes corpore parum breviores, subæquales: 4, 1, 2, 3 sensim breviores, extrorsum sensim angustati, ungue terminati. Antici reliquis multo angustiores, sub cursu vibratiles. Omnes æquali spatio, sub lateribus corporis, affixi. — Inventus in *Staphylino* Uropodis obsito, avidissime sugens; cursu non tardus.

Fam. 6. *Leptides*.

Pedes 6 etiam in adultis. — Tota hæc familia verisimiliter rectius cum præcedente conjungenda, qva de re ulterior palporum disquisitio decidat.

*Caris* Latr. Media inter Ixoden et Pediculum.

*Leptus* Latr.

*Ocypeta* Leach.

*Astoma* Latr.

*Achlysia* Aud.

---

Genus mihi ignotum: *Smaridia* (olim *Smaris*) Latr. Verisimiliter *Gamasidibus* adsociandum.

---

Talis distributio Methodica Arachnidum a Natura non abhorrere nobis videtur, similia enim cum similibus quantum potuimus conjungere conati sumus. Interdum forte erravimus ubi melioris scientia nobis defuit, at tamen opusculum censuræ peritorum commendare non dubitamus, satisque scientiæ profuisse nobis videbimur si alius, vitiis a nobis commissis ductus, picturam Naturæ adhuc similiorem præbuerit.

---

---